# Landesbibliothek Oldenburg

**Digitalisierung von Drucken**


# Haerlem

**Aitzing, Michael**

**[Köln], [zwischen 1580 und 1620]**

urn:nbn:de:gbv:45:1-296303

Visual Library




Landesbibliothek Oldenburg

A12 188



1573.

TOPOGRAPHICA ATQVE HISTORICA

TEMPORA | LOCA

NEC ita multò pòſt Hiſpanicæ copiæ locum alium munitiorem occupant, qui erat ad ſtaturā duplicem hominis, quæ dum fœliciter ſuccedere obſeſſoris obſeßi ægreferrent. Præſidiarij, milites decernunt illam fœlicitatem inſigni aliqua clade rependére.

[1] 7 Iulij. — 10 e Harlem

INSTRVCTI itaq; ad 1500. pedites, & pauci equites, magna diligentia ac virtute egreßi in Germanos impetum faciunt, pugnatur ab egreßis multa alacritate, nonnullæ cohortes germanorum in morem pecudum trucidantur, capta ſunt 6 vexilla, & totidem bellica tormenta, His vbi opem ferret cohors Vallonum, & ipſi mirabiliter cæſi ſunt. [1]

SED enim cum totis caſtris conclamatum eſſet ad arma, omneſq; copiæ conceſſo ſpatio inſtruendi conuenirent, ſubſidio multis Vallonibus, & Hiſpanis accedentibus, accurrentibusq;, ad clamorem è caſtris, magna fit impreßio in egreſſos, qui tantum numerum pugnatorum iam ſuſtinere non poterant, multis itaq; amißis è ſuis reiecti ſunt [2] ad portas ciuitatis.

[2] 8 Iulij.

DVM frequentibus mintis prælijs, & omni oppugnationum ac defenſionum certatur ad vrbem eandem Batauorum Harlemum: Comes de Boſſu fit obuius hoſtili claßi (quèadmodum id exhibet figura præcedens) quæ quidem claßis conſtabat è quinquaginta nauigijs varij generis. Habebat Comes Boſſuuius tanquam ſummus Imperator Hiſpanicæ claßis, quadraginta quinq; naues onerarias, in mari Britannico, egregiè ad pugnam inſtructas, & quatuor actuarias: Verumtamen cum vellet hoſtem cogere ad pugnam, illud obtinere non potuit, qui cum ſecundus ventus aſpiraret, deuitata pugna, prius in tutum ſe recepit, quàm illam Boſſuenſis poſſet comprahendere.

[3] 9 Iulij. — 9 d Mare.

INTEREA moleſtißimè ferebant vniuerſæ Hollandiæ & Zelandiæ vrbes, nouam religionem cōplexæ, Harlemenſes in extremæ vitæ periculo poſitos, nullis auxilijs ab Auriaco Principe ſubleuari, præſertim cum ipſæ pecuniam & alia neceſſaria. pluraque contuliſſent. Idcirco Auriacus Princeps inſtructis nonnullis nauigijs, & terreſtribus copijs ad ad 500. carros adducens [3] cum armis, commeatum, apparatu bellico & tormentis primùm irrumpit (Duce Barone de Battemburg de quo ſuprà diximus) in caſtra germanorum, quæ in nemus vrbi propinquum conſtiterunt, eorum excubias obtruncat.

ID





LEONIS BELGICI DESCRIPTIO

1573.

LOCA | TEMPORA

FREDERICVS Toletanus antequam caſtra ad vrbem poneret, caduceatorem mittit, qui Harlemenſes ciues ad deditionem hortaretur. Sed ciues ad Naerdenſe exemplū, ſuſpectam habentes fidem Friderici, vt dictum eſt glorioſius pro patriâ defenſione mori decernunt, quàm ſuſpectæ hoſtis fidei, vitam & pudicitiam vxorum ac filiarum committere, quare neq; aures quidem præbere adhortationibus voluerūt. Decernunt ſumma contentione vrbem defendere omniaq; pericula, per fortitudinem militarem propulſare.

10 e Harlem. — [1] 1 Iulij.

INITIO menſis Iulij [1] Hiſpani & Itali Nouiomagum, indè Harlemum egregiè ſanè inſtructi venerunt. Germanorum quoq; nouæ copiæ aduentabant. Hiſpanæ igitur copiæ poſt expugnationem munitionis, ſuperioribus etiā victorijs elatæ, magna alacritate Toletani iußu totis viribus contendunt ad obſidendam vrbem Harlemum, non procul ab vrbe poſitis caſtris, erecti ſunt corbes terra pleni, ducti aggeres, excauatæ foſſæ militares, tormenta inter corbes locata, & in vrbem directa.

VRBS recognita ad concutiendum, omnia quæ pertinuerant ad obſidionem expugnationemq; vrbis, ab Hiſpanis diligenter procurata ſunt, & coordinata; ſed non minor erat induſtria præſidiorum, qui erant validißimi, cum ineſſent quinque millia exercitatorum militum, ciuium 800. cum multis ex Holandiæ locis, acciti: qui irrita facerent omnia Hiſpanorum conſilia.

[2] 4 Iulij.

NAM quamuis vrbs neque natura neque arte valdè eſſet munita: tamen inexpugnabilem; faciebat virtus præſidiorum, cum tantundem vel etiam plus longarum noctium beneficio & frequentiâ hominum reficeretur, quantum vis tormentorum diurnorum deuaſtaret, cum etiam foſſæ altißimæ & validißimæ reparationis interitus, excitarentur.

OBSIDENTES Frederici Toletani milites, quia viderent tantum per noctem refici, quantum per diem tormenta initiò deuaſtarent, decernunt tandem eſſe deuemendum ad vim ligonum, quæ quamuis ſit longior, tamen ſecurior apparebat. Sic igitur per vim foſſarum propinquandum eſſe vrbi D. Frederico, ſummo eius expeditionis, patris Albani ducis loco, Imperatori viſum eſt.

13 g Nouiomagum.

NEC ſe admodum comouerunt Harlemenſes obſeßi, ſed pergebant [2] etiam ſacras imagines, ſtatuas, cruces, ornamenta eccleſiaſtica, & è ſtramine & fæno factas effigies ſacerdotum, monachorum, monacharum, Hiſpanorum habitu indutas proponere, confodere, lapidare, coram eis choreas ducere, iubilum canere, eos habere ludibrio, indè amputare capita, & per murum in Hiſpanos iactare.

[3] 5 Iulij.

CAEPTA res eſt [3] agi. & non multò pòſt longum certamen ſine tormentis, in prælio ceciderunt è defenſoribus, plures 150 ex oppugnātibus etiam non pauci, ſic igitur mœnibus appropinquatum eſt, quemadmodum inter cætera id conſpicientibus, figura quæ ſequitur exhibet.



ALBERS 188
Kartenno237
Haarlem